

The Electronic Manipulus florum
www.manipulusflorum.com

Simplicitas f
cum fonte primo

Nichil simplici corde felicius
quia quo innocenciam erga alios
exhibet, nichil est quod pati ab aliis
formidet. Habet enim
quasi artem quandam

simplicitatem suam, nec suspectus est
pati quod se fecisse non meminit.

At contra mens praua
semper in laboribus est quia
aut molitur mala que inferat aut metuit
ne sibi hec ab aliis inferantur.

Gregorius libro XII. moralium.

Nil autem simplici corde felicius,
quia quo innocentiam erga alios
exhibet, nihil est quod pati ab aliis
formidet. Habet enim
quasi artem quandam

fortitudinis
simplicitatem suam. Nec suspectus est
pati quod se fecisse non meminit.

Vnde bene per Salomonem dicitur: In
timore Domini fiducia fortitudinis. Qui
et rursus ait: Secura mens, quasi iuge
conuiuium. Quasi enim continuatio
refectionis est ipsa tranquillitas
securitatis.

At contra mens praua
semper est in laboribus, quia
aut molitur mala quae inferat, aut metuit
ne haec sibi ab aliis inferantur.

Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 12,
39 (CCSL 143A, M. Adriaen ed., p.655,
ll.3-12).